



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.

Bredenbach, Tilmann

Coloniae, 1584

VD16 B 7375

21. Quare propter cessationem consuetæ eleemosynæ vniuersum monasterij triticum corruptum, & in mare proiectum est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52445)

data tibi reddidit, quæ tu illi mutuasti, sed paucis diebus ipsa tibi sex duplicata restituit. Agnosce igitur, quia non est Deus alius, neque in terra, neque in cœlo, nisi ipse solus. Ille vero miraculo admonitus, cum experimēto didicisset & ipse veritatem, effectus est repente Christianus. Glorificauit Deum, & saluatorem nostrum Christum cum patre, & Spiritu sancto, plurimas referens gratias prudentissimæ uxori suæ, per quam vera Dei notitia ipsi in veritate concessa est.

Ioannes Moscu Euiratus in Prato spirituali cap. 85. propter cessationem consuetæ elemosynæ uniuersum monasterij triticum corruptum, & in mare proiectum est.

CAP. XXI.

IN monasterio Abbatis Theodosij in scopulo, inter Seleuciam & Rosum Ciliciæ consuetudo fuit, ut in cœna domini pauperes omnes, & pupilli regionis huius confluerent huc, & acciperent medium tritici sextarium, benedictiones tredecim, & sextarium vini, mediumque sextarium mellis pro quolibet. Ante hoc autem triennium, magna tritici sterilitas fuit, vendebaturque triticum in regione hac, sextarij xij. vno numismate. Cum ergo venissent ieiunij dies, dicunt Abbati nostro quidam ex patribus: Noli domine pater, secundum consuetudinem dare pauperibus triticum, ne desit monasterio. Triticum enim

LI

non

non inuenitur. Abbas autem coepit dicere fratribus: Non infringamus filij, benedictionem patris nostri Theodosij. Videte, mandatum senis est, non expedit nobis illud transgredi. Verè ipse est, qui curam nostri gerit. Fratres autem perstiterunt in sua sententia, dicentes Abbati: Non suppetit nobis, quod dare possumus. Tunc Abbas contristatus ait illis: Ite, & secundum quod vultis facite. Non itaque, ut consuetum erat, dederunt benedictionem in die sancto cenæ, & Parasceues. Profectus postmodum qui præerat horreis, aperuit ostia, & reperit triticum totum germinasse. Quare coacti postea sumus illud in mare proijcere. Tunc coepit Abbas noster dicere fratribus: Qui patris nostri monita irrita facit, ista patitur. Labores nunc inobedientiæ metite. Quingentos modios daturi eramus, & patri nostro Theodosio per obedientiam placuissimus, fratresque nostros pauperes consolati fuissimus, nunc verò quinque ferè millia modiorum tritici perdidimus. Quid lucrati sumus, filij? Quantum nobis ipsis nocuimus? Duo profectò mala egimus. Vnum, quia mandatum patris nostri præteriuimus, alterum quia spem in Deum non habuimus, sed in horreo nostro. Vel ex hoc discamus, fratres, quia Deus est, qui disponit omne humanum genus, quodque sanctus Theodosius inuisibiliter pro nobis filiis suis curam sollicitè gerit.

Ioan.